

Bibliothèque numérique



Bérard, Jacques - candidat /
Mothereau, Jacques - président. - [De
labro leporino]

1752.

*Paris : Typis Delaguette Regii
Chirurgorum Collegii
Typographi*
Cote : ms 2342, n°22



D. O. M.
POSITIONES ANATOMICÆ
 E T
CHIRURGICÆ.

E X A N A T O M I A.

MORBORUM assaultibus undique patere corpus humanum certius; immunita-ne labia existimaveris? Labia vultus honos & decus, ad vocem & masticationem composita, utriusque famulantur: at ipso de amoenitatum fonte ex urgit semper amari aliquid; ægredunt teneræ fauces, ægredunt labia; hæc ab ortu disjuncta, multiplicem in modum faciem deturpant; vel etiam juxta benignæ naturæ leges progenita, ab externis causis lœduntur. Chirurgiæ beneficio in utroque casu sananda: sic amissos aut ab ipsâ quidem naturâ denegatos lepores,

restituit Chirurgus ; sic gratiorem vitæ usuram excolit , præsentibus auxiliando , futuris-ve sagaciter præcavendo incommodis.

TEGUMENTA communia musculos ubique vestire vulgare est ; opinionum circè labiorum muscularum actionem & numerum diversitas , tūm à naturæ varietate , tūm ab errore indagationis deducenda ; alii ad alter-utrum labium , alii ad utriusque commissuram terminantur ; hinc in proprios & communes dividuntur : non idem in singulis perspicitur fibrarum ordo , tractus , directio ; non idem usus , conformatio , situs ; hinc varias receperunt denominationes .

SUORVM muscularum ope , quandoque & pyramidalium Nasi actione diversimodè moveri labia nemo inficias ibit.

LABIORVM textura , musculara , spongiosa , modò intumescentes , modò flaccescens margine glanduloso decoratur tenuissimâ obducto cuticulâ quæ membranæ oris cavitatem intus investientis videtur propago ; ex hujus-ce membranæ duplicaturâ sobolescit habenula quadam gengivis & labiis annexa ; hanc Frenulum dixerunt.

LABIIS subjacent gengivæ , harum textus est constrictus , subruber , elasticus , membranâ tenui & validâ obductus , ossium maxillarium periosteо adhaerentes , utramque faciem marginis alveolaris tam supernè quam infernè obtengunt ; singulos inter dentes interponuntur , totque in eorum substantiâ conspicuntur spatiola quot dentes numerantur .

LABIORVM vasa ex carotidibus , jugularibus externis , nervi ex ramo medio quinti paris , nonnulli ex portione durâ septimi emittuntur ; hæc ubi faciei latera pererravere , Ossium utriusque maxilla substantiam subeunt , cæterasque partes (quæ in labiis leporinis afficiuntur de quibus quærenti ratio fiet) mirum in modum irrigant & nutriunt .

EX CHIRURGIA.

SI naturæ nunc interpres , nunc adjutor Chirurgus , hujus prævidæ matris , in vulnerum curatione , votis prudenter annuerat debeat maximè , in illis quæ faciei infliguntur vulneribus , obstatæ

3

cula scilicet removendo, ut quæ pars corporis ornamento dicata
fuerit, molestâ deformitate non deturpetur.

SOLUTAM transversim ellipticam labiorum continuatatem,
labium leporinum appellaverunt artis Protomagistri; huic deno-
minationi favet similitudo cum labio leporis animalis.

IN unico, duobus-ve in locis quandoque dissectum ab ortu,
deprehenditur labium superius, inferius verò rarissimè; has- ce
divisiōnes limitantur plerūmque Alæ nasi, ipsiusve infrā radia-
cem se se exponit pars intermedia, nunc Ossium maxillarium
major minorve detegitur disjunctio; modò veli palatini ampla
plus minus-ve divisio, labiorum divisioni continua; (a) nunc
fissam, nunc renutam omnino uulam conspicies; (b) his,
monticuli ad instar hiatus inter margines, prominet dens unicus
aut duplex, interdum etiam & caruncula; illis divergens inde-
corum in modum appetit scissura, naris Ozænâ, (c) aut
tumore Cancro nonnunquam stipata; in quibusdam, deficien-
tem, in aliis alterutram in Narem plus minusve prolapsum Vo-
merem, ipsi nos nuperrimè observavimus: hinc innumeræ labio-
rum leporinorum species: hinc in curatione diversæ indicationes,

LABIORUM leporinorum ab ortu obscura latet *artioleza*.
An strictricem Animæ potestatem agnoscat? Deficiunt viæ, ma-
teries, motus, vana sunt experimenta: an malæ & ex origine fœ-
tus in utero materno conformatio competit? Compromis-
tum promulgata celeberrimi Domini Winflou in act. Regiæ Scient.
Acad. ratiocinia, his adversantur experimenta hujuscem sententiæ
fautoribus minimè consona: discutiant otiosi litem; non in in-
quirendâ cognitu tam indocili causâ, nobis immorandum; amissa,
aut denegata ab ingrato fato vitæ commoda, prout arte licet,
restituere satius.

Si ab externis fissus fuerit musculus orbicularis, usus imperio,
eadem ac prædicta divisio salutatur denominatione: quemad-

(a) De hisce Variis labiorum leporinorum speciebus legantur Act.
Regiæ Chirurg. Acad. part. I I I⁴, pag. 181⁴. & sequent.

(a) Vid. Heist. Observat. Chirur. Cap. L X X V . pag. 668².

(c) Vid. Junct. Observ. Cap. L X X X I I I⁴, pag. 165⁴. sed hicce ca-
sus rarissimus est.

4

modum autem à vulnere non discrepet, easdem ac vulnus sub divisiones curamque patietur.

DIAGNOSIS ex præfatis elucet.

A vulneris effentiâ, sitû, figurâ, substantiæ deperditione, à complicantium naturâ & sævitie, ab ægi temperamento, ætate demùm, prosperus plus minus-ve labiorum leporinorum curationis præagiendus est exitus.

H A U D raro perfectam, sæpius partiariam curationem admittunt labiorum leporinorum species; si dentis unius aut duplicitis corpus promineat, solerter extrahatur; si caruncula, scapello auferatur; si maxima vulneris adest reseratio, aut substantiæ insignis deperditio, majorem ob deformitatem ab operatione abstinere præstat; si tumore Cancroso stipetur divisio, causticis tollatur tumor, qui si expansus aut exulceratus adsit non tangendum (a).

Si naris Ozæna divisionem concomitetur; non fiat futura, quin prius consolidatum remaneat ulcus fœdum; si duplex at non major extremitatum hiatus appareat, operatio Junkero adversante (b) instituta, sæpiissimè successit. Ad rimas ossium maxillarium Palati-ve conjungendas, ad uvulæ scissuram aut regenerationem, inania prorsus evadunt artis auxilia; coadunatis partibus externis, opus naturæ confidenter committendum: in harum-ce partium approximatione illius indulgentem efficaciam nonnulli faustis avibus experti sunt (c).

A D partium conjunctionem Chirурgo armamentarium multiplex; modò ex suturis, modò ex sitû & fasciationibus sua mutua-

(a) Licet egregium Chirurgiæ documentum sit tumorem Cancrosum exulceratum & expansum, non tangere: vir artis suæ limites producere valens Dominus Morand, regiar. Lond. & Paris. Acad. Socius, Reg. Chirur. Acad. Secretarius, hujuscem naturæ tumorem musculum quadratum sufficientem solerter abstulit ægrumque perfectè sanavit.

(b) Vid. Junkerum loco citato, pag. 363^a.

(c) Vid. Observat. Domini Gerard Chirurg. in Act. Reg. Chir. Acad.

tur præsidia ; labio leporino recenti , simplici , aut composito & à causâ externâ producتو , sutura , nunc nodosa , nunc sicca , vel utraque simul quandoque competit : hæc etiam una cum situ & congruâ fasciatione consociari amant.

IN curatione labiorum leporinorum à causâ internâ ; intortam ut prævalentem futuram admittimus ; præmissis venæ sectionibus aut Catharsi , si res postulet , operatio celebranda : hanc in tenerioribus infantulis , justè timidus Roonhuysii (a) , aut Heisteri (b) experimentis nimium fidens , non instituet Chirurgus ; non donec alterum aut tertium , ut dicunt , mensēm , sed donec tertium aut quartum ætatis annum attigerint , expelandum .

PRÆPARATO apparatus , in luce collocatur æger ; gengivam solerter à labio , si huic adhæreat , disjungit operator , & ne rursus coalescant , linteum interponit ; extremitatum callositates unicâ incisione , rejectis auctorum Volsellis , in angulum acutum resecat . Labia , genis à Ministro versùs divisionem firmiter adducatis , Acù duplici triplici-ve pro re natâ transfodit ; filis demum inter Acus salubres in duplice spiralem contortis , futuram sustinet ac perficit .

DENTIBUS , si deficiant , substituitur lamina plumbea ; si in adulto celebranda sit sutura , Acutenaculum à Domino Petit Chirурgo excogitatum usurpetur ; si in junioribus , inutile : an futura rejicienda prorsus in adultis ? an soli patellarum actioni labiorum conglutinatio committenda sit (c) ? judicabit prudens mederique sibi Chirurgus ; spleniorum sub utrâque Acuum extremitate impositio , illarum sectionem noxiā & inutilem apprimè demonstrat .

OPERATIONE celebratâ vulnus deligandum : plumaceolus

(a) Vid. Roonhuysii Observat.

(b) Vid. Heist. Observ. Chirurg. pag. 671^a. Part. 1^a.

(c) Hanc sententiam affirmat Fabric. ab Aqua p. Capite 220. pag. 208^a. Hanc methodum valere posse in adultis prudentioribus , non disputandum , præsertim si succurrant electæ fasciationum species in Actis Reg. Chirurg. Acad. delineatæ , sed donec illam noxiā esse demonstraverint , futuram intortam ut prævalentem admittimus , patellasque Fabricii ut medium incertum asserimus .

balsamo Peruviano imbutus, aut altero ejusdem efficaciam super imponendus, qui idoneam fasciatione firmabitur.

FASCIATIONES inter eligere est quas excoigitaverunt Domini de la Peyronie, Quenac, de la Faye, quarum usus in insigni labiorum reseratione optimè successit. Cæterum singulis diebus locus affectus inungatur: si inflammatio vehementior, febris, convulsio aliaque id genus mala succedant; solvantur suturæ (a): à sermone & lamentis abstineant ægri, & congrua unicuique symptomati subministretur Therapeia.

(a) Laudandus Dominus Foubert solutis Suturis, Acubus suppeditat ci- lyndriculos plumbeos quorum ope vulneris extremitates apprimè conglutinantur. Tamen haud semel observatum est & potissimum à M. Morand in Regio Invalidorum Nosocomio, quod licet soluta fuerint suturæ, legitimâ tamen vulnus obductum fuerit cicatrice sic instructâ ut intervallum repletum observaverit lineis semi - circularibus & ellipticis, musculi fibrarum ad instar.

De Xaintes

Has positiones, DEO JUVANTE & Praefide JACOBUS MOTHEREAU, Chirurgiæ & in almâ Universitate Parisiensi Art. Liberal. Magistro, tueri conabitur JACOBUS BÉRARD, Santonensis, Artium Liberalium Magister.

P A R I S I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die 3^a. Octobris, à sesqui - secundâ post meridiem ad Septimam. Anno Domini 1752.

PRO ACTU PUBLICO,

ET

MAGISTERII LAUREA.

Typis DELAGUETTE Regii Chirurg. Collegii
Typographi. 1752.